

BORSIVOIVS BOHEMORVM DVX.



Borsiuoius filius fuit Nostirici ducis Bohemię. Hic cum multis uirtutibus insignis esset, post obitum patris Bohemorum princeps constitutus est. Eius autem tempore Bohemi idola colebant, atque ethnicorum superstitiones obserabant. Itaque S. Methodius Morauorum praeful regis Borsiui prudentiam & bonitatem conspicatus, in Bohemiam se contulit, atque Christi Euangelium indigenis praedicauit. Eam doctrinam cum Borsiuoius intellexisset, grato animo suscepit, & cum Ludmilla uxore prudentissima fœmina baptisme tinctus fuit, Arnolpho Césare existente, circa annum Christi octingentesimum nonagesimum. Sic Borsiuoius ultimus paganorum, & primus Christianorum principum in Bohemia extitit. Cum hoc modo diu in Bohemia magna laude præfuisset, obiit, atque ducatum Spitigneo & Vratislao filijs reliquit. Aen. Syl. in Hist. Bohem. cap. 12.